

rum usu discessurum.

P. In ratione colligendi loca æquabilium conuersionum, admiratur Copernici prudentiam, quòd neque Ptolomæum cum suis collectis & expansis annis, neque Alfonsi scholam secutus sit. Sed tamen cum ad Logisticas compendia assuefieri uelit iuuentutem, uix paucas illas Copernici, & prudentissimè constitutas, æquabilium conuersionum tabulas recipit. Dolet uulgo tantum curæ & diligentie in supputationes metallicas & similes insumi, cum Mathematicum candidati, non sustinuerint aliquos Logisticas labores in motuum inquisitione perferre. Inspeci eius Ecclipsium libros, & exempla designationum hypothesium, in quibus haud facile dinoueris Logisticae ne, an de tabulis facilius loca quis collegerit. Adde quod natura suauissimum sit, quàm minime à multis dependere, & quam paucissimis adiuuentis de uera arte quæq; depromere.

H. Si te diutius de suppullulante motuum doctrina audiuerò, uideris me plane in tuam sententiam adducturus esse. Quid enim præclarius esse possit, quàm si de Logisticas compendijs, primo loca æquabilium conuersionum prompte exquisiueris, deinde de iisdem & doctrina Triangulorum ueras prostaphereses, & deinde loca, & omnia phænomena definiueris. Hæc mihi quidem satis arrident, itaque opus iam desidero, quod certè & mihi & doctis, ac uere studiosis omnibus, gratissimum erit. Sed quid de ijs fiet, qui Astronomi dicuntur, & suis multiplicibus libellis, de utraque Astronomiæ parte editis, bibliothecas & parietes replent, neq; tamen uel Euclidem, uel Logisticen, uel doctrinam Triangulorum, elementa inquam doctrinæ, quam profitentur, digitulo attigerunt. An his Ephemerides, aliorum studio & labore compositæ atq; editæ satis esse poterunt?

P. Ephemerides subleuant eruditos à laboribus, cum uel cupiunt periculum facere, an cælum respondeat doctrinæ motuum, uel cupiunt effectus siderum diiudicare. Ineruditorum autem auriculas pulcherrimè produnt, cum proposita sine doctrina & ulteriore consideratione, tanquam uera assumunt, & deinde de futuris euentibus egregie fabulantur. Hæc ridenda erant, nisi artificum errata, postea in artem redundarent. Verum cum usus potior respectus, quam abusus habendus sit, duplicem tabularum rationem instituit. Vnam quæ prompte, sine longa contemplatione aut inquisitione, sideris locum aut quodcunq; phænomenon exhibeat, atq; hoc ideo, ut unus labor artifices ad altiora intentos, non remorctur, non ut ignauis materiam præbeat uendendi fumos. Alteram quæ simul & motus ac apparentias doceat inuenire, & insuper iuuentutem ad artis fundamenta deducat. Illam quidem rationem in æquabilium tabulis se confecisse sperat, hanc uero in sua & Procli designatione hypothesium. Ante editionem tamen conabitur inspicere obseruationes quorundam artificum, qui inter Mahumetem Aratensem & nos floruerunt. Item de Zodiaci stellis denuo obseruationes capere, nec non & suas cogitationes aliquanto altius ad luminum & siderum motus dirigere. At hospes quia Mathematicum cultor es ac Academia nostra intermissas hoc mercatu operas iam denuo auspiciatur, poteris cum cras ipse audire, auspiciantem Triangulorum doctrinam, & ex ipso intelliges quid consilij hac in parte habeat.

H. Cupio cum audire, & cum eo de communibus studijs quædam conferre. Spero etiam cum cum multorum hospes fuerit, dum passim in orbe Mathematica sectatur, hospitaliter nos accepturum esse.

P. Nihil